



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

cxxviii [i.e. xviii]. Actio eductiva transiens inhæsivè, est in solo passo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

dem, acclivis & declivis etsi eosdem respiciat terminos, radicem & cacumen montis, considerata tamen ut acclivis respicit radicem montis tanquam terminum à quo, & quasi primò, cacumen montis tanquam terminum ad què, & quasi indirectè & secundò: sic actio eductiva ut talis dicit actum principii activi tendentem in passum, passio ut talis dicit actum principii passivi proveniente[m] à principio activo, etsi de cætero uterquè respectus ad agens & ad passum tam actioni, quàm passioni formaliter sit essentialis. Sic igitur lignum calefieri ab igne, & ignem calefacere lignum; formaliter diversa sunt: quamvis alii per primum velint, non intelligi passionem, sed ad significandam hanc sic dici & formari debere propositionem; *lignum recipit calorem ab igne.*

XVIII. Actio eductiva transiens non est in agente; hæc enim in eo est, quod movetur & patitur, & quod per illam mutatur, ut inquit Arist. Sed nequè agens ut agens, nequè agens quod agens est, actione transeunte movetur, patitur aut mutatur; agenti enim per hoc, quòd alteri actu communicet perfectionem, seu det suum esse, non advenit
major

major perfectio, aut denominatio intrinseca, sed tantum extrinseca, qualis advenit parieti ex eo, quod videatur, adeoque qualem effectum formalem visio tribuit parieti viso, seu quale constituit cum eo totum, talem actio tribuit effectum formalem agenti: certe Deus se solo educens formam quampiam, educationis hujus subjectum esse non potest. Neque ex eo, quod agens modificatum sit actionis, sequitur eam agenti inhaerere; cum ad modum non requiratur, ut intrinsece subiectetur in modificato, ut patet in creatione, quae modificatum quidem, sed nullum habet subjectum inhaesionis; imò ne quidem ut actio sit modificato contigua, quod addo propter actionem in distans, quae agenti, quod modificat, contigua tamen non est, quam contiguitatem cum modificato, vel inhaerentiam in eo modi alii exigunt; non quatenus praecise modi, sed quatenus tales modi sunt. Neque actio inhaesive est in termino (quidquid sit de eo an illi intrinsece adhaereat) dabitur enim aliàs mutua causalitas, dum effectus dependet ab actione effectivè, & hæc ab illo in genere causæ materialis. Sed est in passo, sive in eo, quod de
poten-

potentia passiva reducitur ad actum, & quod mediâ actione exercet virtutem suam passivam; quod tamen ab ea non denominabitur agens, cum illud solum ab actione capax sit denominari agens, à quo ea effective procedit. Sic dum ignis una actione plures calefacit homines, eadem actio non erit in pluribus locis, quia hi plures homines, & spatium intercedens inter eos, erit passum adæquatum hujus actionis divisibilis. Quinimò actio eductiva ut talis est in passo; etsi enim quatenus præcisè actio est, non dicat subjectum inhætionis, dicit tamen illud, quatenus talis est actio, elicit nimirum dependenter à subjecto: unde tamen non sequitur, actionem eductivam ut actionem eductivam, esse formaliter passionem.

XIX. Actio creativa est productio causativa rei ex nihilo subjecti, sive ex non præexistente vel præsupposito subjecto influente in genere causæ materialis. Distinguitur & illa tam à Deo creante ejusque volitione, quâ ipse vult absolute & efficaciter communicare hic & nunc rebus esse sine dependetia à subjecto; hanc enim habuit Deus ab æter-

h

no,